

LVNÆ DIE 13 M. FEBRVARII A. 2017

Idibus Februariis a. MMXVII

196

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

REDACTRIX

Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

« EGO SVM GRÆCVS ANTIQVVS »

– de quo libro refert Gaius Licoppe –

Hic est titulus libri¹ satis miri, quem novissime edidit Bernardus Deforge, hellenista emeritusque professor academicus. Se antiquum Græcum esse sentire cœpit cum in schola didicit alphabetum Græcum, hæc pulchra signa, quibus ei patebat novus mundus, textibus pulchritudine stupendis factus: Homerus imprimis certe, eius lepidæ imagines, mythi necnon dei ubique. Animo tunc concepit Verum esse Poesin. Auctores, quos postea frequentavit, tragici, eius prælatus Æschylus, Pindarus quoque verbis aureis, et Plato ipse, eum ab hac opinione numquam averterunt. «Antiquum Græcum esse, ait, mihi significat esse alibi, loco et tempore. Amore captus sum Helladis, quæ non exstat, cum solum constet ex Æschyli, Homeri, Pindari, Theocriti, Platonis et nonnullorum aliorum operibus.»

Quattuor capitula ad exemplum lectoribus proponendum resumpsi.²

Bernardus Deforge in aliquo præcedenti libro³ scripsit cultum civilem Græcum et Iudæum ex eodem fonte Mesopotamio esse ortum. Etiam Ericus Auerbach, clarus philologus Germanus, Homerum comparavit cum Vetere Testamento.⁴ Statim in mentem venit occurrere bellissimarum virginum, Nausicæ cum Ulixæ, Rebecca cum Isaac, intercedente famulo, et Rachel cum Iacob. Auerbach arbitratur culturam Iudæam superare Græcam. Errat ille, putat Deforge, nam argumentum, quo ad diiudicandum utitur, id est concreta veritas, non convenit Homeri operi. Certe Rebecca et Rachel genuerunt stirpes, quæ Iudæorum historiam fecerunt; contra nihil natum est ex occurso Nausicæ et Ulixæ. Homerica vero poesis non est fructus «archaici» cultus civilis, sed contra exquisitus fructus longi cultus, qui ortum repetit a medio secundo millennio et homines docuit scepticismum: omnia esse fragilia, omnia mori, felicitatem esse in temporis momento. Quid altius? Omnes Veteris Testamenti textus spectant ad Hebræorum historiam, cum Homericus textus ad Hominem spectet. Historia ex una parte, Humanismus ex altera.

Auctor etiam comparat Iesum cum Prometheo. Pro certo habet inter eos non solum esse similitudinem, sed etiam filietatem. Prometheus præsertim notus est per Æschyli drama, quod inscribitur *Prometheus vincetus*. Sic factus est exemplum cum Iovis iniustitiæ et crudelitatis, tum humanæ rebellionis in tyrannidem potentium seu hominum seu deorum. Hoc tamen non erat Æschyli propositum; *Prometheus* enim *vincetus* tantum est pars media trilogiæ, cuius prima, *Prometheus ignifer*, et tertia, *Prometheus liberatus*, præter fragmenta sunt perditæ. In primo dramate Prometheus ignem attulit mortalibus, id quod Iovi displicuit. Catena vincetus est ne hominibus diutius faveret. Sed in tertio dramate Prometheus Iovem

vincit et cum eo gratiam reconciliat. Verum enim trilogiæ argumentum est sors mortalium generis, quod Iuppiter exstinguere voluit, Prometheus contra servare, fortasse quod, ut nonnumquam fertur, ipse mortales creavit eisque omnia dedit ad vitam sustinendam necessaria. Christiani primorum sæculorum, qui Hellenismo erant imbuti, Prometheum etiam comparaverunt cum Iesu: ambo sunt hominum salvatores accepto supplicio.

In alio capitulo Bernardus Deforge interrogat num inæqualitas sit malum. Si ita est, ait, tota Creatio est malum, quæ inæqualitates gignere solet; et in memoriam revocat hanc quæstionem iam tractatam esse antiquitus. Plato enim in opere c.t. *Gorgias* dialogum excogitavit inter Calliclem et Socratem; Callicles Socratis institutionem respuit; philosophos despicit et habet inutiles. Socratis argumenta disparia sunt, ait, legibus Naturæ, quæ omnia regunt. Ipse locuples potentia sua frui vult sine verecundia; nam qui plus valet vel magis aptus est, eum, qui minus, superet oportet. Inscitia eorum, ait auctor, quos Natura vel humana societas minus dotavit, excitat invidiam; hac de causa nascitur debilium sensus moralis, quo omnis superioritas dicitur esse fœda iniustaque. Cum debiles multo plures sint quam bene dotati, democratia efficit ut leges civitatis debiliores magis magisque foveant.⁵

Auctor etiam multum tractat de «potentia amoris». In litteris Iudaicis, ut apud Isaiam, ubi agitur de pace inter feras bestias (II, 6-7: «Habitabit lupus cum agno...»), non apparet Eros; «Hoc, inquit, non est meum Universum; meum est Græcorum, quod natum est e cosmica copulatione Urani, cæli stellati, et Gaïæ, Terræ lato pectore, postquam apparuit Eros, ‘pulcherrimus inter deos immortales, qui membra solvit atque domat, in pectoribus omnium deorum omniumque hominum, mentem et rationabilem voluntatem’ (Hesiodus, *Theogonia*, 116-132). Græci serenitatem in amatoriis voluptatibus videntur habere, quæ non invenitur apud Iudæos.

Auctor sic de variis rebus tractat, quas multis carminum fragmentis illustrat, atque opinionem affert sæpe inexpectatam. ☺

1. Bernard Deforge, *Je suis un Grec ancien*, Paris, Les Belles Lettres, 2016.

2. Quæ sunt capitula III, «Hellade et Judée», XI, «Jésus et Prométhée», XIV, «Les incorrects», denique IV, «La puissance de l’amour».

3. Bernard Deforge, *Le Commencement est un dieu*, Paris, Les Belles Lettres, 1990.

4. In opere c.t. *Mimesis. Dargestellte Wirklichkeit in der abendländischen Literatur*, 1946.

5. Auctor non dicit hoc tantum verum esse in regionibus culturæ catholicæ; in regionibus protestanticis contra prosperitas et divitiæ sunt signum Dei gratiæ.

BREVIS DE G.G. LEIBNIZ (†14 Nov. 1716) COMMEMORATIO

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

Abhinc paucos menses, nempe die quarto et decimo m. Novembris a. 2016, trecenti anni elapsi sunt, ex quo Godefridus Guilelmus Leibniz, qui Lipsiæ natus erat, Hannoveræ septuagenarius mortuus est. Cuius viri scripta edita ne dimidia quidem pars sunt omnium opusculorum, quæ ipse conscripserat quæque una cum milibus et milibus paginarum etiam nunc inedita iacent in bibliotheca Hannoverensi. In his omnibus scriptis editis et ineditis componendis tres linguas usurpavit Leibniz: Theodiscam, Francogallicam, et maxime Latinam. Eum enim, qui sexennis patre orbatus est, mater, prudens femina, ad scholam ‘Sancti Nicolai’ misit ibique Godefridus prima linguæ Græcæ et Latinæ elementa didicit; sed statim suo Marte has linguas præsertimque Latinam colere coepit atque omnes fere Titi Livii libros *Ab Urbe condita* et omnia Vergilii carmina perlegit animo adeo intento, ut vix duodecennis Latinos versus componeret atque, iam proventus, integros Æneidis locos recitare valeret.

Postquam in universitate Lipsiensi et Altdorfiana in iuris legumque studium incubuerat, anno 1667 librum edidit c. t. *Nova methodus descendæ docendæque iurisprudentiæ*, quem dicavit Ioanni Philippo Schoenborn, tunc Moguntiacensi principi Electori. Quot quantaque opera iam tunc adulescens Lipsiensis legerit, ex ipsa huius libri præfatione patet, in qua illustrium virorum nomina leguntur veluti hæc: Laurentius Valla, Thomas Campanella, Galilæus Galilei, Gaspar Scioppio, Renatus Cartesius, Guilielmus Harvey aliaque multa. A iuris legumque studiis numquam discessit Godefridus, quin immo iuridicum mentis habitum etiam in doctrinis metaphysicis et logicis et eventibus historicis explanandis servavit.

Anno 1672, voluntate Ioannis Friderici, ducis Hannoverensis, a quo electus erat sicut bibliothecarius, Lutetiam Parisiorum missus est Leibniz ut Aloisio XIV, Francogallorum regi, ad expeditionem in Ægyptum faciendam suaderet utque in Turcos bellum susciperet etiam quia «Sultanus ipse vilis ingenii, avarus, libidinosus, alteri relinquens imperii habenas... Incolæ pauperes nec liberis operam dantes qui oneri sunt. Hinc infandum Sodomix crimen et in media polygamia contemptus sexus muliebris... Potissima divitiarum Sultani pars ex Europa affluit per canalem Ægypti». ¹ Sed rex ille omni ope enisus est ut sua et Francogallorum potentia in Europa, non longinquis in regionibus, augetur.

Ineunte anno 1673 iter in Britanniam fecit vir Lipsiensis et Londinii convenit Henricum Oldenburg, secretarium ‘Regiæ Societatis’, in quam ascitus est. Anno 1676, dum in Germaniam rediit, in Nederlandia

adivit Antonium van Leeuwenhoeck, acutissimum rerum naturæ inquisitorem, et Benedictum Spinoza, a cuius philosophicis persuasionibus statim dissensit: nam Benedictus mundum considerat necessitate quadam adstrictum; dum necessitatum catenam philosophice rumpere semper contendit Leibniz.

Qui et historicus fuit atque a mense Nov. 1687 usque ad mensem Iun. 1690 itinera in Germaniam meridianam, in Austriam, in Italiam suscepit eo maxime consilio, ut vinculum consanguinitatis domum Brunsvicensis inter et domum Atestinam (quæ Italice *Este* dicitur; huius domus principes ducatum Ferrariensem et Mutinensem regebant) commune exstare demonstraret. Aliquot hebdomadas Mutinæ commoratus est et hac in urbe Bernardinum Ramazzini, insignem medicum, convenit. ²

Dum Romæ Godefridus vitam degit, de nonnullis Serum sive Sinensium moribus certior fit nec non de earum gentium religione; et quoniam his argumentis semper adliciebatur, mirum non est quod anno 1697 librum edendum curaverit *Novissima Sinica historia nostri temporis illustrata* inscriptum. Cuius in libri præfatione leguntur et hæc: «Porro Sinense imperium, ut magnitudine Europam qua exulta est provocat, et populositatem etiam superat, ita multa alia habet, quibus nobis certet æquo propemodum Marte, et nunc vincat, nunc vincatur [...] sed meditationum profunditate et theoreticis disciplinis nos vincimus. Nam præter logicam et metaphysicam, et cognitionem rerum incorporarum, quas nobis propria merito vindicamus, certe contemplatione formarum, quæ mente a materia abstrahuntur, longe excellimus [...]». Hasce sententias ii homines forsitan stomachabundi legent, qui ‘politice rectitudinis’, quæ dicitur, adeo sunt obnoxii, ut veluti offensionem adversus orientales populos illatam putent quidquid occidentalium, nisi superioritatem (hæc vox apud Laurentium Valla legitur), saltem præstantiam demonstret (obiter: equidem istam ‘rectitudinem’ peiorem puto quam cancrum malignum).

Interea alia proposita ad varias res attinentia peragere non intermisit Leibniz: multa effecit ut religio catholica et protestantica inter sese conciliarentur; sed frustra. Anno 1700 Berolini ‘societatem scientiarum’ condidit, quæ postea fuit ‘Academia Borussica’. Post aliquot annos Petrus I Romanov, Russorum imperator, elegit Leibnizium sicut consiliarium. Etiam Carolo VI, Austrio imperatori, gratus fuit vir Lipsiensis, qui anno 1713 suam de Pace Ultraiectina opinionem aperte exposuit. Godefrido Vindobonæ commemoranti contigit ut cum Eugenio, Sabaudix principe et strenuo duce, fraternam amicitiam contraheret.

Leibnitijs autem, etsi iam a postremis sæculi XVII annis præclaram sibi famam comparaverat, adversarios quosdam vitare non potuit, sicut Cartesianos et præsertim multos Newtonianos: hi priorem calculi differentialis inventorem Isaacum Newton esse adfirmabant, Godefridum alii. Utique hæc controversia nullius momenti nostris temporibus videtur esse, propterea quod e recentioribus investigationibus patet utrumque virum sua ipsius ratione methodoque ad eum calculum demonstrandum pervenisse. In suis inceptis conficiendis Leibnitijs favore usus est Ernesti Augusti, ducis Hannoverensis. Huic tamen anno 1698 successit Georgius Ludovicus, qui, diversimode a patre, erga Leibnitium parum benevole se gessit fortasse etiam quia sæpe magis Berolini, quam Hannoveræ, habitare malebat Godefridus et hac de causa historiographi munera nimis lente explere videbatur; sed interea epistularum commercium colere perrexit cum permultis viris doctis, atque amplam opusculorum seriem de variis rebus composuit veluti ex. gr. librum *Meditationes de cognitione, veritate, ideis* inscriptum.


Quædam Leibnitiana principia philosophica graviora:

1) Ordo, quo mundus regitur, liber est. Huiusce libertatis fundamentum oritur ex ipsa creatione, id est a Deo, cuius essentia continet etiam libertatem agendi. Sed hæc libertas non est arbitrium, quia cum sapientia divina coniungitur.

2) Nulla res cum alia confundi potest, quia non exstant duæ res qualescumque æquales. Etiam binæ guttæ, quas ex eodem epitonio stillare videmus, æquales non sunt, sicut ne Siamenses quidem gemini (Changus et Engus Bunker, qui sæculo XIX celeberrimi fuerunt) æquales erant, immo mente animoque tam diversi, ut pacem inter ambos tantum eorum uxores servare valerent.

3) Ad logicam quod attinet: exstant 'veritates rationes' et 'veritates facti': eæ necessariae sunt atque ipsarum fundamentum est principium 'identitatis' et principium 'contradictionis'. Alteræ 'contingentes' appellantur et principio innituntur, quod 'rationis sufficientis' dicitur. Aliis verbis: nulla res existit sine ratione cur existat. Et sicut 'possibilitas' est principium essentia, ita 'perfectio' est principium 'existentia'. Ex quo sequitur ut hic mundus 'melior' sit inter varios mundos possibles, et in ipso regnet 'harmonia præstabilita', quæ dicitur. Itaque Leibnitijs ex suis ipsius argumentationibus multas difficultates determinismi Spinoziani et arbitrii Cartesiani amotas esse credidit.

4) Hunc mundum veluti 'optimum' philosophi qui-



dam respuerunt, præsertim Franciscus Maria Arouet, cognominatus Voltaire, qui librum scripsit c. t. *Candidus*, videlicet eo consilio, ut doctrina de 'harmonia' deque 'optima mundi condicione' funditus ludificaretur. Dicendum autem est mala, quæ sunt in mundo, a Leibnitio negata haud omnino esse; eum tantum putasse mala cum bonis esse admixta, sed ita, ut omnia ad bonos exitus tandem perveniant. Hoc saltem dicunt philosophiæ Leibnitianæ fautores.

5) Multa, quæ intellectu possible videntur esse, existentia carent, quia non tam perfecta erant, ut existerent. Tantum in Deo possibilitas (id est eius essentia) et perfectio (id, quod ad existentiam adducit) congruunt. Quare propositio hæc: 'Deus existit' est logice fundata, sed non a parte subiecti ratiocinantis (sicut putabat Cartesius), sed a parte Dei ipsius.

Omnia fere principia philosophiæ Leibnitianæ supra breviter explanata, opusculo continentur *Monadologia* inscripto, quod is anno 1714 Francogallice composuit quodque post eius mortem Latine anno 1721 Lipsiæ editum est in *Actorum Eruditorum Supplementis*, tomo VII. En propositiones quasdam ex 'Monadologia' excerptas: «MONAS, de qua dicemus, non est nisi substantia simplex, quæ in composita ingreditur. Simplex dicitur, quæ partibus caret. 2) Necesse autem est dari substantias simplices, quia dantur composita: neque enim compositum est nisi aggregatum simplicium. 3) Ubi non dantur partes, ibi nec extensio, nec figura, nec divisibilitas locum habet. Atque monades istæ sunt veræ atomi naturæ et, ut verbo dicam, Elementa rerum. 7) Destituuntur monades fenestris, per quas aliquid ingredi aut egredi valet [...] 11) Sequitur ex hactenus dictis, mutationes monadum a principio interno proficisci, propterea quod causa externa in eius interius influere nequit. Et generaliter affirmare licet, vim non esse nisi principium mutationum. 29) Enimvero cognitio veritatum necessarium et æternarum est id, quod

nos ab animantibus simplicibus distinguit et rationis ac scientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem nostri atque Dei elevat. Atque hoc est istud, quod in nobis 'anima rationalis' sive 'Spiritus' appellatur. 36) Enimvero 'ratio sufficiens' reperiri etiam debet in veritatibus contingentibus vel facti, hoc est, in serie rerum, quæ reperitur in universo creaturarum, ubi resolutio in rationes particulares progredi posset in infinitum, propter immensam rerum naturalium varietatem et divisionem corporum in infinitum [...] 49) Datur in Deo 'potentia', quæ est fons omnium, deinde cognitio, quæ continet idearum schema, et tandem voluntas, quæ mutationes efficit seu productiones secundum principium melioris. 55) Quemadmodum vero infinita sunt universa possibilis in ideis Dei et eorum nisi unicum existere potest; ita necesse est dari rationem sufficientem electionis divinæ, quæ Deum ad unum potius, quam ad alterum determinat. 76) Atque ideo etiam nulla datur generatio, nec mors perfecta, rigore loquendo. Sunt enim evolutiones et accretiones, quas generationes appellamus; quemadmodum involutions et deminutiones, quod mortem vocamus. 82) Animæ agunt secundum leges causarum finalium per appetitiones, fines et media. Corpora agunt secundum leges causarum efficientium seu motuum. Et duo regna, alterum nempe causarum efficientium, sunt harmonica inter se [...]»

Quamvis hæc monadologica doctrina haud omnino clara forsitan esse videatur, in eius tamen sententiis quibusdam aliquid reperiri potest quod ad ipsam hominum vitam spectet, veluti sententia septima, e cuius verbis, nempe «Destituuntur monades fenestris», separationem quandam inter monades inesse concludamus est necesse. Nemo præterea negare potest aliquid simile de permultis hominibus dici posse, «quibus absconditum est – ut ait Augustinus – cor alterius (hominis)». ³ Est enim inter homines incommunicabilitas quædam, propterea quod etsi multa interdum homines satagere conentur ut hoc sæpimentum superetur, tamen difficultates manent naturales ac gravissimæ, quæ veram inter homines communionem sæpius impediunt. Alia difficultas systematis Leibnitiani spectat ad libertatem agendi; putat Leibnitius 'harmoniam præstabilitam', quæ definitur sicut 'varietas identitate compensata', inesse non modo in variis mundi rebus, sed etiam corpus inter et animam cuiusvis hominis. Etsi autem 'præscientiam divinam' a 'causa necessitante' distinguendum esse adseverat ipse, aliquid tamen determinismi hac in doctrina permanet, quoniam ne 'spontaneitas' quidem est vox apta ad omnes de liberta-

te difficultates enodandas. Nam «spontaneitas non est libertas; hæc, ut vera sit, ex ipsius spontaneitatis determinationibus se expedire debet; nam spontaneitas se ipsam determinare nequit, quia eius iter quodammodo præscriptum est». ⁴

Godefrido Guiliemo Leibniz non procera fuit statura; pallidulus faciei color; generatim integra valetudo, quam tamen morbus articularis seu arthriticus debilitorem in annos reddidit. Moderate is edebat vinumque aqua temperatum diligebat. Quamvis multis et lautis muneribus honestatus esset, tamen infeliciter postremos vitæ annos degit Leibnitius, maxime quia Georgius Ludovicus ab anno 1714 Britannorum rex factus est, sed munus historiographi in aula Londiniensi explendum Godefrido denegavit. Qui inter milia et milia epistularum, quas multis viris doctis miserat, non modo de rebus philosophicis disputavit, sed interdum etiam de rebus cottidianis, quas ne philosophi quidem eximii negligere possunt, sicut demonstrat epistula, quam amico cuidam Leibnitius scripserat ut ab ipso 'culcitræ vento inflatas obtineret': «Memini quantum sim tibi obstrictus, quod etiam expendisti quædam, quæ refundere non omitam. Nunc aliquid simile a te petere audeo. Intellexi esse Norimbergæ artifices, qui faciant culcitræ maiores minoresve lectis maxime inservientibus ex corio quod sit vento inflatum. Itaque discere velim an impetrari inde possint tales culcitræ, et quidem quæ 24 circiter horis pondus impositum sustinere possint, ut tamen ventum non amittant, et mox denuo inflatæ in bonitate perstent, et quanti constant [...] Vale faveque. Dabam Hanoveræ 26 Jul. 1701.» ⁵ Ad exsequias autem Godefridi cohonestandas exiguissimus amicorum grex convenit. ☺☺

1. E capite «Turcicæ Potentiæ decremenda» inscripto, quod opusculo c. t. *Consilium Ægyptiacum* continetur.

2. Qui medicus commemoratus est in *Melissæ* fasciculo n. 184 (16 Febr. 2015), pp. 10-12.

3. *De Civitate Dei*, L. xv, 7, 57.

4. Hæc scripsit Maria Raschini, philosophiæ profestrix in universitate Genuensi, in opere c. t. *Historia philosophiæ occidentalis: a temporibus Francisci Baconis usque ad Emmanuelis Kant ætatem* (apud Marzorati, Mediolani, a. 1974, verba citata: p. 173).

5. Hæc epistula numero 44 signata legitur in opere c. t. *G. G. Leibnitii epistulæ ad diversos*, Lipsiæ, a. MDCCXXXIV.

PARIETINÆ ORBICVLATÆ

– scripsit Georgius Ludovicus Borges, in Latinum vertit Franciscus Loaliza-Lemos –

Nemo eum concordi nocte e navi egredi vidit, nemo vidit scapham bambusinam in sacrum lutum penetrantem; tamen, paucis diebus post, nemo ignorabat mæstum virum e regionibus meridionalibus esse oriundum ac patriam eius esse unum ex innumeris vicis, qui sunt supra in montis asperrima clive, ubi lingua Zend a Græca non est contaminata et ubi lepra raro sævit. Hoc quidem est certum, quod cinereus vir lutum osculatus est, ripam ascendit nec arundines arcuit (nec verisimiliter sensit) quæ eius cutem dilacerabant, et serpsit, sanguinolentus et nauseabundus, usque ad orbiculatum sæptum quo superstat aut tigris aut equus petreus, olim ignei coloris, nunc autem cinerei. Hæc area rotunda est ædes antiquis incendiis consumpta palustrique silva profanata, cuius deus hominum venerationes non iam accipit. Advena recubuit sub altari. Sol altus eum e somno excitavit. Sine ulla admiratione vidit vulnera esse sanata; pallentes oculos clausit et obdormivit, non corporis infirmitate, sed propria voluntate. Sciebat hanc ædem locum esse ineluctabili suo consilio aptum; sciebat arbores infinitas non valuisse, infra, elidere parietinas alius faustæ ædis, cuius dei similiter essent incensi et mortui; sciebat nunc esse dormiendum. Circa mediam noctem eum e somno excitavit inconso-labilis clamor cuiusdam avis. Vestigia excalceatorum pedum, ficus et hydria certiozem eum fecerunt homines huius regionis eius somnum reverenter speculatos esse et aut tutamem eius petere, aut magicas eius artes timere. Sensit metus frigorem, et exquisivit in devastato muro sepulchralem quendam nidum, et ignotis foliis se operuit.

Non erat consilium, quod eum ducebat, insuperabile, verumtamen supranaturale. Volebat hominem somnari: volebat eum accurata integritate somnari ac mundo imponere. Hoc magicum consilium totum eius animæ spatium exhauserat; si quis eius nomen petivisset aut de vita priore interrogavisset, certo respondere non potuisset. Ædes deserta et ruinosa ei conveniebat, quod minima pars erat rerum visibilibus; etiam rusticorum propinquitas ei erat grata, cum tenues eius egestates sustinerent. Oryza et fructus ab eis tributis satis erant ad alendum corpus unico officio dormiendi et somniandi dicatum.

Initio, somnia erant confusa; mox autem natura fuerunt dialectica. Advena somniabat se versari in medio amphitheatro orbiculato, quod aliquo modo erat ædes conflagrata; nubes discipulorum taciturnorum gradus delassabant; facies ultimorum dependebant sæculis compluribus stellarique altitudine, attamen omnino claræ erant. Vir eis dictabat lectiones anatomix, cosmographix, magix; facies avide auscultabant

et rationabiliter respondere conabantur, tamquam si divinarent gravitatem huius periculi, quo unus ex eis redimeretur a condicione vani simulacri et insereretur in mundum verum. Vir, in somno et vigilia, responsa suorum phantasmatum ponderabat, non decipiebatur a sycophantis, e quibusdam dubitationibus percipiebat crescentem intellectum. Animam exquirebat dignam, quæ universum participaret.

Post novem aut decem noctes, non sine amaritudine intellexit sibi nihil expectandum esse ex eis, qui doctrinam serviliter accipiebant, sed potius ex eis qui nonnumquam audebant iustam contradictionem. Priores, quamquam amore et caritate digni, non poterant homines fieri; alteri paulo magis præexstabant.

Aliquo die post meridiem (nunc enim etiam horæ postmeridianæ debebantur somno, nunc paucas tantum horas vigilabat diluculo) in æternum dimisit vastum collegium fictum et mansit cum uno tantum discipulo. Qui erat iuvenis taciturnus, biliosus, rebellis nonnumquam, macilentis faciei lineamentis, ad imaginem eius somnatoris. Non diu perturbatus est subita condiscipulorum dimissione; eius progressus, post paucas lectiones privatas, magistro admirationi esse potuerunt. Clades tamen accidit. Vir, quodam die, e somno emerit ut ab eremo viscoso, spectavit vanam lucem postmeridianam, quam cum aurora primum confudit, et intellexit se non somniavisse. Totam illam noctem et totum diem, intolerabilis insomnia claritas eum corripuit. Voluit silvam scrutari, defatigari. Cicuta usus vix obtinuit brevissima debilia, hic et illic maculata rudibus visionibus: inutilibus. Collegium convocare voluit, at vix pauca hortationis verba pronuntiaverat, cum deformatum et solutum est. Inter vigiliam pæne perpetuam, iratæ lacrimæ eius vetustos oculos urebant.

Intellexit consilium confusam immanemque materiam formandi, e qua constant somnia, arduissimum esse ex eis, quæ vir aggredi posset, etiamsi cuncta ænigmata ordinis superioris et inferioris penetraret: multo arduius quam si quis funem arena texeret aut ventum sine capite cuderet. Intellexit iacturam ab initio vitari non posse. Iuravit se vastam hallucinationem, qua primum perditus erat, obliturum esse, et aliam laborandi rationem quæsitivam.

Antequam eam experiretur, integrum mensem dicitur restaurandis viribus, quas delirium dissipaverat. Totam somniandi voluntatem dereliquit, ac fere statim dormire valuit satis longam diei partem. Raris occasionibus, quibus eo tempore somniavit, ad somnium non attendit. Ad opus resumendum expectavit dum lunæ orbis fieret perfectus. Tum, postmeridiano tempore, se in fluminis aquis purificavit, planetarios deos adoravit,

licitas syllabas cuiusdam potentis nominis pronuntiavit et obdormivit. Fere statim somniavit de corde palpitante.

Id somniavit actuosum, calidum, secretum, tam magnum quam pugnum factum, coccineum in umbra corporis humani facie et sexu adhuc carentis; id scrupulosa cura somniavit per quattuordecim noctes lucidas. Singulis noctibus, id maiore perspicuitate perspiciebat. Id non tangebatur: nihil aliud quam id testabatur, observabat, nonnumquam intuitu corrigebat. Id percipiebat, id vivebat variis distantibus multisque angulis. Quarta decima nocte, levi digito tetigit arteriam pulmonariam ac deinde totum cor, intus et extrinsecus. Hac inspectione contentus est. Consulto, per unam noctem non somniavit; tum cor resumpsit, nomen cuiusdam planetæ invocavit et conatus est aliam e præcipuis corporis partibus videre. Anno nondum transacto, pervenit ad ossa et palpebras. Innumeros capillos imaginari fortasse fuit opus omnium difficillimum. Somniavit virum integrum, virum iuvenem, qui tamen neque exsurgebat, neque loquebatur, neque oculos aperire valebat. Singulis noctibus vir eum somniabat dormientem.

In cosmogoniis gnosticis demiurgi rubrum Adam deprecantur, qui exurgere non valet; tam inhabilis et rudis et simplex quam ille pulvereus Adam erat Adam fictus, quem noctes magi perfecerant. Quodam die postmeridiano vir fere totum opus suum delevit, sed eum pænitu. (Ei magis profuisset, si id delevisset.) Postquam vota persolvit numinibus terræ et fluminis, se prostravit ante signum, quod fortasse erat tigris et fortasse pullus equinus, et eius ignotum auxilium imploravit.

Eo vespere, de statua somniavit. Eam somniavit vivam, tremulam: non erat fœdus nothus tigridis et pulli equini, sed simul eæ duæ creaturæ fervidæ, atque etiam taurus, rosa, procella. Hic multiplex deus indicavit nomen suum terrestre esse Ignem, se in hac æde orbiculata (et in aliis similibus) ornatum esse sacrificiis et cultu, se modo magico ita animatum esse phantasma somniatum, ut omnes creaturæ, excepto Igne ipso necnon somniatore, id putarent esse virum humana natura præditum. Iussit ut eum mitteret, ritus edocutum, ad alteram ædem ruinosam cuius pyramides deorsum supersunt, ut vox quædam eum glorificaret in hoc ædificio deserto. In somnio viri qui somniabat, somniatus expergefactus est.

Magus his iussis obtemperavit. Aliquod tempus (denique duos annos) consumpsit in aperiendis arcanis cosmi cultuque ignis. Pénitus dolebat ab eo fore discedendum. Prætextu pædagogicæ necessitatis, singulis diebus differebat horas somno dicandas. Etiam refecit numerum dextrum, fortasse debilem. Nonnumquam eo turbabatur, quod hæc omnia videbantur iam evenisse... Plerumque eius dies felices erant; oculos claudens putabat: «Nunc ero cum meo filio.» Aut, rarius: «Filius quem genui me exspectat neque exstabit, nisi

illuc ibo.»

Eum paulatim assuefecit ad physicam mundi existentiam. Aliquando eum iussit vexillum in summo monte remotum ponere. Postero die, vexillum in summo monte agitabatur. Tentavit alia experimenta similia, magis magisque audacia. Non sine amaritudine intellexit filium suum paratum esse nasci – ac fortasse avidum. Ea nocte eum primum osculatus est et misit ad aliam ædem, cuius ruinæ deorsum albescunt, interpositis permultis leucis densissimæ silvæ et paludis. Sed antea (ne unquam sciret se esse simulacrum, ut se semper putaret hominem ut ceteros) infudit ei oblivionem totam annorum tirocinii.

Eius victoria et eius pax tædio maculatæ sunt. Crepusculis vespertinis et matutinis, se prosternebat ante petream imaginem, fortasse putans filium eodem ritu efficere, in aliis parietinis orbiculatis, deorsum; noctu sive non somniabat, sive ita somniabat ut omnes homines agere solent. Ei pallidi videbantur soni et formæ universi: filius absens alebatur his animæ deminutionibus. Propositum vitæ eius erat expletum; vir mansit quasi ecstasi captus.

Transacto tempore, quod narratores alii malunt annis computare, alii lustris, media nocte expergefactus est a duobus remigibus: eorum facies videre non potuit, at locuti sunt de mago in aliqua æde septentrionali, qui ita ignem calcare sciret ut non ureretur. Magus subito recordatus est verba dei. Recordatus est inter omnes orbis creaturas ignem solum esse, qui sciret filium suum esse phantasma. Hæc recordatio, primum dulcis, eum postremo cruciavit. Timuit ne filius meditaretur hoc abnorme privilegium et aliquo modo inveniret se merum esse simulacrum. Hominem non esse, esse effectum somnii alterius hominis, quam incomparabilem contumeliam! Qualem vertiginem! Omnis pater curæ habet liberos quos procreavit (quos sivit) sive mera turbatione, sive gaudio; consentaneum est hunc magum sollicitum fuisse de futura vita filii sui, minutim excogitati a visceribus ad faciem, intra mille et unam noctes secretas.

Finis eius cogitationum fuit subitus, nonnullis tamen signis annuntiatus. Primum (post longam siccitatem) longinqua nubes in colle, levis sicut avis; tum, versus meridiem, cælum tam rosaceum quam leopardorum gingiva; postea magni fumi quibus robiginavit metallum noctium; deinde pavida bestiarum fuga. Nam id quod acciderat ante multa sæcula iterum evenit. Parietinae sanctuarii dei ignis igne deletæ sunt. In aurora avibus orbata magus incendium vidit in muros circulatim irruens. Voluit quidem in aquas confugere, at statim intellexit mortem advenire, ut eius senectus coronaretur ipseque absolveretur ab officiis. Calcavit ignis fragmenta. Quæ eius carnem non momorderunt, eum mulserunt et inundaverunt sine calore nec combustionem. Levatus, afflictus, territus, intellexit se etiam esse simulacrum, se ab alio quodam somniari. ☞

DE NOVA GENESI

PARS I: DE CÆLO

– scripsit Gaius Licoppe –

Tempore Platonis licebat in eius Academiae fronte scribere: «ΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΜΗΔΕΙΣ ΕΙΣΙΤΩ» (Nemo intret nisi geometriæ aptus); quibus verbis significabatur neminem, nisi ad abstractionem mathematicam aptum, ad philosophiam accedere posse. Nostris tamen temporibus abstractio mathematica tam amplificata implicataque facta est, ut pauci tantum eam totam mente comprehendere valeant. Hodierna vero physica, quæ artissime coniuncta est cum mathematica, ad exitum tam stupendos pervenit, ut maxime oporteat omnes eruditos, etiam mathematicæ non peritos, de eis certiores fieri. Hoc est propositum huius symbolæ.

Quis primum capitulum Veteris Testamenti *Genesis* vocatum non novit? «In principio creavit Deus cælum et terram. Terra autem erat inanis et vacua.» Die primo creationis: «Dixitque Deus: Fiat lux.» Die secundo: «Fiat firmamentum in medio aquarum.... Vocavitque Deus firmamentum Cælum.» Die tertio: «Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et appareat arida.» Die quarto: «Fiant luminaria in firmamento cæli... Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut præsetet diei, et luminare minus, ut præsetet nocti.» Die quinto: «Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram.» Die sexto: «Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.» Die autem septimo «requievit ab universo opere quod patrarat.»

Hic mythus conveniebat populis antiquis, quibus Universum constabat e Terra in medio et e circummotis Sole et Luna; stellæ, hærentes dictæ, tantum erant ornatio cæli, quod habebatur tectum Universi.

Cum Deus hominem creavisset «ad imaginem et similitudinem» suam, homines Deo aspectum dabant humanum: sedebat in throno supra cæli immutabilem curvaturam.

Hæc Genesis, religione christiana vecta, mirum in modum per multa sæcula a populis christianis accepta est. A sexto decimo sæculo tamen scientiæ naturales, præsertim physica et astronomia, florere cœperunt.

Anno 1572 Tycho Brahe, ultimus clarorum astronomorum qui cælum sine lente observaverunt, stellam non solum novam sed etiam eximie lucentem videt describitque; eius tamen claritas satis celeriter decrescit et disparet. Hoc raro phænomeno (hodie «supernova» vocato) Tycho Brahé utitur ut Aristotelicum immutabilitatis cæli dogma refutet.

Anno 1609 Galileus dilatanti lentium effectu iam noto utitur ad primum telescopium componendum et in cælum dirigendum. Inde telescopia magis magisque potentia monstrant cælum non esse curvaturam, sed spatium incredibiliter ingens, stellis frequens, quas

Antiqui non videbant moveri propter incommensurabilem distantiam.

Di sedem vel thronum in cælo habere iam non possunt.

Usque ad vicesimum sæculum docti putabant, ut Antiqui, Universum esse staticum atque infinitum. Mathematicus physicusque Russus, Alexander Friedman, recenti theoria relativitatis universæ utens, primus mathematice demonstravit fieri posse ut Universum nostrum non esset staticum, sed mutabile; potest expandi et ergo initio fuisse punctum nullius magnitudinis ac densitatis temperaturæque infinitæ.

Universum ex nihilo oriri, redolet Genesin eiusque Creationem; scientifici vero valde timent mixturam scientiæ et religionis; quare Alexandri Friedman hypotheses flocci non fecerunt, quod tamen non diu fieri potuit.

Ab anno 1919 per totam vitam astronomus Americanus Eduinus Hubble laboravit in observatorio Montis Wilson in California sito. Ibi maximum telescopium totius mundi adhibens, anno 1924 nuntiavit multas galaxias exstare extra nostram; antea hæ galaxiæ, quæ tantum aspectum nebulosum præbebant, putabantur includi in Via Lactea, galaxia nostra.


Hubble etiam usus est spectrographia¹ lucis stellarum et anno 1929 divulgavit nuntium vere stupendum: ope spectrographiæ demonstrabat galaxias moveri et unam ab altera eo celerius discedere, quo longius inter se distarent (Lex Edvini Hubble); ex hoc invento patebat Universum expandi. Tamen multi scientifici, inter quos celeberrimi ut Albertus Einstein, nolebant hanc conclusionem accipere et pergebant putare Universum esse staticum.

Nemo tamen de Universi expansione iam dubitare potuit cum compluries comprobata esset ab anno 1965; eo enim anno fortuito inventæ sunt tenuissimæ undæ electro-magneticæ (radiatio de Gamow nominata), quæ sunt vestigia ortus Universi.

Georgius Lemaître, Belgæ canonicus catholicus necnon astrophysicus, anno 1927 primus proposuit lineamenta Universi a puncto initiali expansi (vide imaginem p. 8).

Hæc omnino nova Universi conceptio, initium scilicet ab initiali puncto, nondum ab omnibus scientificis accipiebatur. Anno 1950, Anglus astronomus Fred Hoyle eam in televisione derisit et comparavit giganteæ displosioni, quam iocose vocavit Big Bang. Pluribus pluribusque argumentis inventis, ipse Hoyle debuit novam theoriam accipere; eius iocus Big Bang factus est nomen, quod nunc adhibetur omnibus linguis.

Scimus nunc Universum habere initium et histo-



Expansio Universi, qualis nunc fingitur (Wikipedia)

riam: res omnino extraordinaria, quam etiam clarissimi Antiquitatis philosophi, ut Aristoteles, sibi numquam finxerunt.

Mirum in modum scientifici valuerunt huius historiarum lineamenta usque ad primum miliardesimum² secundæ describere. Quo magis ad initium spectamus, eo magis contractum est; contractio inducit incrementum pressionis et temperaturæ usque ad infinitum.

Universum ortum est ante amplius tredecim miliarum annorum e «singularitate», ut vocant scientifici, quam neque describere, neque explicare valent.

Comperitur ordinem iam inesse in nascenti Universo, quod mirum est quia ordo et informatio coniunguntur; omnis ordo continet informationem. Unde venit informatio in Universo?

Intra primas Universi minutas apparent hæ quatuor vires, quibus reguntur omnia phænomena physica: vis gravitationis, vis intranuclearis, etiam vis fortis vocata, vis exilis, vis electro-magnetica.

Apparent etiam particulæ, quibus constituetur materia, imprimis leviores, ut electrona, et paulo post graviore, ut protona et neutrona; simul pro singulis apparent antiparticulæ, quibuscum viget æquilibrium, sed non diu; alteræ enim alteras ad nihilum redigunt. Res mira, minima pars protonorum et neutronorum (unum ex miliardo) superest, cum tota antiparticulæ copia deletur. Unde hæc inæqualitas, sine qua nullus atomus constitui potuit? Quæstio responso carens.

Paulo post idem accidit electronis et eorum antiparticulis, quæ vocantur positrona. Postquam ad nihilum redacta sunt, minima pars electronorum superest et, res iterum mira, eadem ratione ac protona, unum ex miliardo. Cum protona sint electricæ positiva et electrona negativa, Universum est electricæ neutrum.

Post nonnulla centena milia annorum, cum temperatura usque ad tria milia graduum descenderit, electrona se collocant in orbitis circa nucleos e protonis et

neutronis constantes; sic constituuntur primi atomi, helium et hydrogenium.

Eodem tempore, exitium mutuam particularum et antiparticulæ abrupte gignit maximam copiam photonorum (particularum lucis); sic fit giganteum fulgur cosmicum, cuius superest vestigium nostro tempore, quod est radiatio microundarum de Gamow nominata (cfr supra).

Post tria vel quattuor miliarum annorum, modo nondum dilucido, vis gravitationis tantas helii et hydrogenii massas aggregari cogit, quantæ necessariæ sunt ad primas stellas formandas. Aggregatione augetur pressio et inde temperatura usque ad decem circiter miliones graduum; hac temperatura incohatur reactio nuclearis: duo nuclei hydrogenii confusi fiunt nucleus helii, ingentem energiæ copiam liberando; hæc est eadem reactio displosiva, quæ fit in bomba thermonucleari, vulgo vocata bomba H.

Cum in huiusmodi stella hydrogenium consumptione fiat nimis rarum, reactio satis energiæ iam non liberat, quam ut vis gravitationis repellatur; stella tunc abrupte contrahitur, quo facto temperatura usque ad centum miliones graduum crescit. Hac temperatura novæ reactiones thermo-nucleares fiunt: tres helii nuclei confusi faciunt nucleum carboni; nucleus carboni cum nucleo helii confusus fit nucleus oxygenii; multi alii novi nuclei crescentis ponderis confusionibus tunc nascuntur usque ad ferrum. Hæ reactiones pressionem tantum augent, ut stella iterum infletur usque ad quinquages vel centies priorem massam et fiat gigantea stella rubra.

Postea duæ sunt possibilitates.

Si stella rubra massam usque quinquies maiorem quam eam solis habet, cum, deficiente energia, contrahitur, tanta est vis gravitationis, ut electrona impellantur in nucleos; inde fit tanta displosio, ut stella, nisi a Terra nimium distet, subito appareat eximie lucens; huiusmodi stellam, quæ nunc supernova vocatur, Tycho Brahe observavit die 11 mensis Novembris anno 1572. Est phænomenum rarum, quo ille clarus astronomus cælum non esse immutabile demonstravit. Propter contractionem temperatura in stellæ corde tantum aucta est, ut satis energiæ in promptu esset ad graviore nucleos confusionibus faciendos, i.e. a ferro usque ad uranium; omnia elementa, quæ in Terraveniuntur, nunc sunt præsentia et displosione in spatium proiecta. Post displosionem tantum superest densissima massa neutronorum, quæ statim radiationem electro-magneticam emittit; huiusmodi stella hodie vocatur «pulsar» (Angl. *pulsating star* contractum). Inter atomos expulsos, sunt qui inter se combinantur ad sim-

plices moleculas chemicas faciendas.

Si autem stella rubra massam maiorem habet quam quinquies solis massam, idem evenit, sed reliqua massa tam densa est, ut fiat lacuna nigra (Fr. *trou noir*; Angl. *black hole*), unde propter ingentem vim gravitationis ne lux quidem emitti potest.

Sol noster non est æternus. Astronomi eum ponunt in ordine stellarum nanarum flavarumque. E nebulosa spirali ante 4,7 miliarda annorum natus, nunc est in media vita, cum putetur adhuc circiter decem miliarda annorum victurus esse; tunc fiet gigantea stella rubra, quæ etiam Terram absorbebit.

Amplius centum miliones stellarum eiusdem generis ac Sol exstant in Via Lactea, galaxia nostra; Sol ergo est stella vulgaris.

Septuaginta quinque centesimæ Solis partes (75%) constant ex hydrogenio, quod 92% voluminis occupat; reliquæ viginti quinque centesimæ partes (25%) constant ex helio, quod tantum 8% voluminis occupat.

In Solis corde habetur continua giganteaque reactio thermonuclearis; singulis secundis circiter 627 miliones tonnarum hydrogenii confunduntur ad helii copiam circiter 622 milionum tonnarum generandam; deficientes 4,3 tonnarum miliones transformati sunt in colosseam energiam, cuius minima pars in Terram pervenit sub forma caloris, lucis et variarum radiationum.

Unicus Terræ satellites est Luna; nulla adhuc theoria eius originem convenienter explicat. Res mira, Lunæ compositio et structura vix notæ sunt, quam-

quam undecim homines ab anno 1969 eius solum iam calcaverunt et multa percontatra³ intricatissimis instrumentis prædita in orbita circum Lunam circumversa sunt.


Ut patet ex Universi historia, qualis nunc a scientificis fingitur, complicatio rerum non desiit augeri decursu temporum; nihil in his eventis est fortuitum, sed tantum effectus consideratarum legum, quibus regitur Universum.

Cælum iam non est hæc immutabilis curvatura, quam ab Antiquitate sibi fingeant homines usque ad recentiora tempora; immo est tantum spatium, ut distantia et tempora incommensurabilia nobis esse videantur; ibi tantum sumus minimum minimorum pulveris granorum. Cælum, quod nobis imaginem supremæ tranquillitatis præbet, re vera est spatium plenum phænomenorum terrificorum. ☪

1. Omnes sciunt lucem solis non esse homogeam, cum iris eam in complures colores dividat. Scientifici lucem dividunt in multo plures colores, quorum singuli congruunt cum certa undarum electro-magneticarum longitudine; scala illarum divisionum vocatur spectrum. Spectrum in pelliculam photographicam recipere est spectrographia.

2. Miliardesimus: neologismus fictus ad similitudinem vocabulorum antiquorum 'centesimus', 'millesimus', etc.

3. Percontatrum (neol. in Finnicis Nuntiis Latinis): Fr. *sonde*, Angl. *probe*.



Solis evolutio (Wikipedia)

EPISTVLA AD IUVENEM POETAM

– scripsit Daniel Blanchard –

Puellam mense abhinc conveni, formosam, me paulo iuniorem, proceram, flavam, mente vivacem. Eam non statim adamavi, sed lepore eius sensim turbatus sum. Venus me male delusit. Undeviginti annos natus, numquam a scopo meo propter puellam aberraveram. Ars solum studium mihi olim fuerat felici.

Ab ætate duodecim annorum organi scholas in academia musica frequento. Cœpi et modos componere, harmoniæ, contrapunctuique studere. Ante tres annos, accepto baccalaureatu, apud magistrum privatum cantum discere vocemque exercere cœpi. Magister ille, nomine Victor, Mercuri die me accipere solet, ut me doceat. Principio, unam horam apud eum manebam. Gradatim, de artibus, de litteris, de poesi colloqui incepi. Mos nobis nunc est, totum fere postmeridianum tempus una manere, non solum canentes, sed etiam legentes, theam bibentes, et de variis rebus disputantes. Victor bibliothecam habet magnam, scriptis raris refertam, quam a iuventute collegit. Multos pictores, poetas, musicosve ipse novit, qui nunc septuagesimum ætatis suæ appropinquat annum. Musas insolita pietate colit, atque omnes artes amat veneraturque, ita ut Apollinis sacerdos diceretur, nisi fervens christianus esset. Carmina Latina confessus est se scribere, quæ tamen mihi numquam ostendit: «Post mortem meam ea leges» die quodam dixisse eum memini. (Id ægre tuli, quia carmina Latina ab ætate quindecim annorum scribo, vel, ut accuratius dicam, versus conor scribere, quæ adhuc claudicant, sed scio usum magistrum esse optimum. Magistro exemplum olim ostendi, quod legit, et tacitus alme subridens reddidit.) Mela nonnulla scripsit ille concinna, quæ in concentu privato eo instigante clavichordio cecini. Cantavit ille mecum voce plena adhuc, nec temporis iniuriis exoleta.

Ad puellam regredior, quæ mentem occupabat. Nominabatur Iulietta. Vitam haud insolito modo amabat, et si fieri liceret, omni vespere in thermopoliis, vel in tabernis saltatoriis cum amicis et ignotis, quos facile adibat, usque ad multam noctem læta convivia faceret. Difficile eam sequor, qui raro otio fruor, nec tam pecuniosus sum, quam amici qui eam comitantur. Non sine molestia in sodalitate eius accipi valui, qui exquisitarum tabernarum, exoticorum ciborum, optimorum vinorum, notissimorumve popularium cantatorum artium quasi monachus ignarus eram. Genitores, cum me studia sensim negligentem perceperunt, nihil prohibuerunt, cum nullum mihi certamen academicum esset mense Septembri ineundum, et sine dubio arbitrati sunt, meæ ætatis fuisse, iocis indulgere. De hac re primis diebus nihil dixit magister, qui me agitatum senserat. Splendebat tamen mensis Iulius, et omnia

Lutetiæ ad hilaritatem vocabant.

Iuliettam, quam sæpius videre volebam, die quodam invitare statui hora sexta, ante vesperum, id est, antequam nimis crebra insequentium amicorum fieret cohors. Tunc solus cum ea in hortis ambulare potui. Sequenti die, eam domum adduxi, ut clavichordio ei canerem. Sic enim stultus eam illicere volebam. Musicam haud attente audivit, cogitabunda, et benigne dixit: «Gratulor tibi, belle canis!» Nihil amplius. Cum de vita nobis futura alio die colloqueremur, dixit iocans: «Noto histrioni vel argentario nubam. Mihi opus est pecunia, ut beatam vitam degam.» Verba ista plus etiam quam pulchritudo eius me turbaverunt. Velut repentinus fulguris ictus mihi strepuerunt, qui numquam antea de hac re cogitaveram. Viam meam secutus eram, nec propter pecuniam, stipendium, famamve officium elegeram, sed propter intimam necessitatem. Sciebam enim me sine musica infelicem fore.

Iulietta omni occasione mihi humanissimam se præbuit. Cum tamen iuxta eam omni hora manere vellem, tunc frequentandi erant et amici eius, qui mecum haud semper benigni erant. Deridebant enim vestimenta mea, vel imperitiam de cantiunculis nuper in televisione diffusis. Confiteor me numquam populares cantores curavisse, nec histriones fabulasve quæ lato publico in televisione spectabantur novisse, vel etiam, qui mihi stulti visi erant, scurras, qui in televisione vel in reti florebant, summo contemptu ignoravisse. Volui ergo, ne apocrotus (ut Græci facete dicunt) viderer, ac Iuliettam pudore afficerem, plebeias musicas audire, et ludos populi discere, quod non sine tædio factum est, nam putabam: «Iulietta istos nebulones audire mavult, quam cantus meos.» Hæc cogitatio mihi dolori erat, nec unquam tamen Iuliettam in me ipso puerilitatis incusavi, aut nugatricem vocavi. Immo omnia propter eam mite passus sum vulgaria, trivialia, et tædium suscitantia.

Vespere quodam, cum in thermopolio vici Montis Parnassi essemus, mihi virum ætate nobis maiorem tradidit, quocum nuper consuetudinem iunxerat frater. Librorum editor erat, et dicebat se novos scriptores ubique terrarum quærere. Mihi in mentem venit consilium. Numquam narrationes vel productiores fabulas scripseram, nisi Latine. Incomptam autem, incompositam, unaque nocte perscriptam narrationem editori electronico cursu misi. Post semihoram, responsum accepi. Displicebat fabula, classica nimis, haud festiva, nec, ut aiebat, iuventutis meæ sale satis conspersa. Hortabatur ut eam paululum mutarem, et breviorum factam ad certamen litterarium quoddam mitterem,

quæ sine dubio præmio ornaretur. Volebam ego cum maximi ponderis editore fœdus sanciri (et si fieri licebat) lucrosam. Destitutus eram animo, et amaritudine affectus. Nihil ergo de hac re Iuliettæ dixi, qui eam omni modo impotens movere arderem.

Aliquot post dies, audivi per academiæ sodalem certamen futurum esse, ad clavichordistæ officium tribuendum. Requirebatur musicus, qui in concentu notissimi popularis cantoris Iohannis Iohannis cum ipso cantore caneret. Sodalitatis meus spe ingenti agitabatur, dilectissimi cantoris conveniendi. Audito nuntio, certamen adire statui. Musicam Iohannis Iohannis non solum non amabam, sed etiam despiciebam. Sed cogitavi de Iulietta: certus tunc eram, eam me musicum mirari. Pudor me aliquantulum retinuit, et verecundia, nec placebat sodali perfidum esse. Nonne cum claro cantore consuetudinem iungere a pueritia optabat? Certamen autem adivi. Ex tempore cantiunculam levem cecini, et electus sum. Sodalitatis postea numquam mecum iterum collocutus est. Ego nullius amicitiam observabam, at solam allicere ardebam Iuliettam. Illa unica occupatio erat mentis meæ, et solum studium.

Nihil de futuro concentu magistro nuntiavi. Prima occasione ei mentitus sum, rusticationem æstivam fingens, ut rem celarem. Me pungebat verecundia, ardentior tamen erat cupiditas Iuliettæ alliciendæ. Obcæcabar, nec animadvertēbam, me miserum tunc fieri.

Concentus Lutetiæ factus est, ineunte mense Augusto. Iuliettam simul ac amicos eius invitaveram. Mihi longissimus visus est, sine fine, ut vere dicam, qui hac musica omnino non delector, atque avide expectabam convivium, quod post concentum in ipso theatro institutum erat. Iohannem Iohannem volebam amatæ puellæ tradere. Nescio qua de causa, eum a pueritia multum respiciebat. Cantor autem est superbus, vanus, usque ad rixam petulans, intemperans. Cantiunculas scribit ineptas, quas corvina voce sine pudore publice latrat. Primo aspectu patet eum somnificis substantiis abusum esse. Auditore favente, iuvenis e paupertate ereptus, non valet hodie solus in via exire, et quiete frui solita. Statim in eum fit clamantium ululantium insanientiumque concursus, nec sine fortibus satellitibus unquam turbam evadere possit. Vitam degit auream, vacuumque. Sola ei superest comes Superbia, quam adsidue colit, et novis cantiunculis rumorose honorat.

Aliquantulum temporis mihi necesse fuit ut peracto concentu ex cubiculo exirem, nam omnia facie unguenta evellere oportuit, simul ac ridendas vestes exuere. Cum atrium attigi, ubi erat festivitas, iam cre-

bra erat turba. Homines pressi forti tympanorum tonitruo saltabant, et cerevisiam siceramve bibebant. Iuliettæ amico cuidam casu obviam ivi, et rogavi, ubi nam esset. Ironice subridens se nescire respondit. Quæsivi eam. Luces coloratæ et fumus artificialis aciem offendebant, nec facile erat, hominem ab homine secernere. Adulescens quidam saltans, vel potius maligna phrenesia agitatus, cerevisiam in me effudit, ita ut madidæ essent bracæ, et male olentes. Progressus sum tamen inter homines ebrios. Nemo erat qui mihi «saphos» diceret, sed id parum curabam. Iuliettam invenire cupiebam. Invitus pede hominem offendi, qui ebrius humi iacebat. Lux rubra semianimem faciem eius breviter illuminavit, et mihi visus sum Æneas esse, infernas regiones lustrans. Vir alius, qui invisus appropinquaverat, me subito manu detraxit:

«Videsne Iuliettam?»

– Minime. Eam quæro.

– Illic, in angulo, cum aliquot amicis adest.

– Gratias ago!»

Iuliettam superbe adivi, novæ gloriæ certus. Gradum tamen destiti. Iuliettam vidi, lascive virum ætate proveciorem basiantem, et ridentem.

Qualis nox fuit mihi! Flere volui, at aquam negavit desiccatum cor. Theatrum furtim liqui, sed domum regredi non patiens, solus in viis vacuis Lutetiæ erravi. Stellæ in cælo fulgebant, nec anima eas perspiciebam. Mihi totus sordebam, scurra, nebuloque. Quisquis semel male egerit, sciet de qua re agatur. Amaritudo ipsa suavis erit, si quis eam meæ tristi contritioni conferet. Multi emeram pænitere. Hora tandem quinta, cantantibus merulis, in cubiculum mærore confectus redii. Lavationem sumpsi, et dormiturus eram, cum mensam animadverti. In ea tres libri positi erant, quos magistro commodaveram, iuxta damnosi concentus præconium, ubi nomen meum erat, et librum quem unus ex sodalibus Iuliettæ legere suaserat, nomine *De vera hominis liberatione, sive de morte religionum*. Huius in libri tegumine videbatur incensa ecclesia. Tunc intellexi magistrum huc venisse, et cum parentibus locutum esse. Maiorem non potueram accipere cladem.

Die sequenti, cubiculum non liqui. Videbantur parentes tristitiam sensisse, nec quid dixerunt. Nemo me telephonice compellavit, et res bene se habuit, nam verba proferre nolebam. Die tertio, ex magistro hanc epistulam accepi:

«Sectari noli, iuvenis, mores hodiernos,
Nec dictis hominum credas fallacibus audax:

Excidium, dilecte, ferent amentia verba
 Mercurii, convivia necnon noxia Bacchi.
 Ludibrium ac pauper servus fit credulus ille,
 Qui facilem præbet verbis mendacibus aurem.
 Verba cave nugatorum, et prudens tibi vive,
 Ne vires capiant viles curæ, tenuantque.
 Luxuriam laudant homines et dant ioca vana?
 Derident sapientes? At faciant nebulones!
 Tu, retice et contemne: a cunis nam didicerunt
 (Heu, miseros!) ventosa et inania dicere molles:
 Aut ventri servire, aut desidiam venerari.
 Ignorant vitam sanam et virtute beatam.
 Sic vivunt alios ut ditent, grex bibulorum,
 Iudicio petulantes, lanigeros imitantes,
 Spernentes animam, immemores et mortis acerbæ.
 Non poterunt quidquam stupidi componere pulchri,
 Pierides æterne quos arcent inimicæ.
 Audi me, dilecte, ardentia carmina pandam,
 Ut fauste cantes, fugiasque ut retia sæcli.
 Ingenuos homines dicam, Musasque colentes,
 Pallada qui sanctam, veracem, non repulerunt.

Principio, (nisi eos vitare licebit) aniles
 Sermones animo forti contemne atheorum,
 Qui renuunt terram, cælos, hominesque creatos
 Arbitrio cælesti, emissa luce superna,
 Atque hominum genus acri Christi morte redemptum.
 Pernicies animæ sermones sunt atheorum:
 Admonitus fugias istorum haurire venenum.
 Immo tute preces pius unoquoque dierum
 Funde Deo; crimen, scelus et fraudes fuge tætras,
 Mortales quæ semper ad infortunia ducunt.

Officio quovis lætus tum fungere honesto:
 Turpe lucrum studioso quærere pectore noli.
 Verum aliis potius gratus disce utile munus,
 Fœda negotia vita unquam præceps adoriri.
 Convenit aut pueros elementa latina docere,
 Aut agros colere, aut cantus componere blandos;
 Causidicos, medicos, cumulamus laude magistros,
 Facundos imitatores necnon Ciceronis.
 Astronomi, pictores, nautæ, (ô nomina clara!)
 Pacificato quos omnes sæclo venerantur.
 Usuram qui autem faciunt, quid turpius exstat?
 Lenones sunt impuri, servi, ac meretrices,
 Gaudentes, florentes usque ruina aliena:
 Usque lucri causa, mordaces, omnia vertunt.

Constitui iuvenis vitam promittere Musis
 Nec me constituisse pudet prudenter adultum.
 Collegi plenam perpulchris bibliothecam

Codicibus, vitæ qua sæpe molesta refreno.
 Carmina volvendo, rhythmorum dulcia gusto;
 Antiquos sapientes convenio, pretiosas
 Editiones vel perlustro, quæ arte refulgent
 Antiqua: pulchro nil codice suavius exstat!
 Musica nec sprevis studiosos gaudia certa,
 Qui cantus fudi blandos, mœstos, hilaresve,
 Enodans inter nocturna silentia vocem,
 Vel ludens populosi per spatia ampla theatri.
 Numen quis nescit concinno carmine flecti?
 Quis nescit cantus animam virtute mederi?
 Sanat enim psalmodum tristitiam modulamen,
 Et curas pellit sonitus vocis numerosæ.

Ætatem quis felicem magis artibus unquam
 Conspexit? Tabulis pictis sunt atria plena,
 Et statuis urbes fulvi nunc æris abundant.
 Nunc monumenta, ædes, templa, arcus marmore
 lucent.

Privatæ villæ resonant concentibus altæ
 Arte nova in cælo tacito quasi fulgure fusis.
 Nunc florent ubiquaque frequentes bibliopolæ,
 Nec ullus superest cui non sit lectio cordi.
 Doctrina veteres superamus et artibus illos,
 Noscere qui terram et stellas primi studuerunt,
 Et rerum causas didicerunt usque latentes.

Attamen artes spernuntur plerumque sacratæ,
 Et laudantur ineptæ artis sub nomine nugæ.
 Deformes tabulas omnes depingere certant:
 Iste asini cauda demens pinxisse videtur,
 Iste autem tabulas vacuas producere mavult.
 Ostendunt alibi insani excrementa canina,
 Vel sordes glomerant agitant pandunt et acervant.
 Stridentes sonitus en lædunt turpiter aures?
 Obsessis similes saltare vides rabiosos?
 Tu iactis saxis nebulones tundere velles,
 Nec facies, quia plebs vigilat stulta et metuenda.
 Heu! Plebs conatur Pipleium scandere montem!*
 Pierides furcis tamen uti nec pavidæ audent,
 Atque adeo viget et regnat male sana hebetudo,
 Ut iamiam fieri non possit adire theatrum,
 Aulas, contentus lyricos, spectacula, pompas.
 Forma iacet, scænas tæter furor occupat omnes.
 Scænographi iactantes omnia classica turpant:
 Ecce vides Superos, heroes, cælicolasque,
 Reptantes, trepidos, stupidos, nudos, lutulentos,
 Vel fumos sumentes somnificos, et ineptos.
 Histrio qui famam quærît male avet recitare,
 Dedecori cui sint versus apte recitati.
 Cantores scænas lyricas nunc linquere oportet,

Contemptu fessos, odio vel abire coactos.
 Scriptores fabulas narrant turpes, pueriles,
 Mendosas, incomposite in charta patefactas,
 Confusas, tritas, triviales, et violentas.
 Crimina cantantur, scortator, vel patricida!
 Pulchra poesis iam non est, sed fœdi ululatus,
 Nec modulantur, delirant, latrantque poetæ.
 Cur artes hodie tam triste, rogas, vitiantur?
 Artifices quoniam seducit gloria vana,
 Et favor ignari populi, rutilique amor auri.
 Immemores pulchri, petulantes, omnia perdunt:
 Iudicium, sensum, et venturam posteritatem.

Dum spiras, iuvenis, tu, veridicos cole amicos.
 Sint comites rari, docti, at semper tibi fidi.
 Mundanos vita, simul ac fatuos nebulones,
 Ut serves tempus scriptori tam pretiosum:
 Sole sereno horas serva, bene scribere promptus,
 Profundæ, tacitæ, nec sperne silentia noctis.
 Selige scriptores probatos eximiosque,
 Ovidiana legas opera, et docti Ciceronis;
 Optatus Maro sit semper facilisque magister.
 Erasmus placeat, narrator Plinius aptus,
 Et facundus Horatius odarum pater ille.
 Nec properes opus ad lucem celer edere quoddam,
 Sed lima, emenda, patiens, ac terge laborem.
 Ne timeas delere quidem versus vitiosos,
 Nec toleretur sit rhythmus vel debilis unus.

Laurigeris, iuvenis, vitam vis tradere Musis:
 Lætus eris semper, dum consilium retinebis.
 Nemo beatior est, quam Christo qui modulantes
 Confidunt veracibus omnes artibus horas.»

Benigna erant magistri verba; me vero totius rei
 acriter pudebat. Erraveram. Sciebam magistrum in me
 iratum non esse, et me libenter suscepturum. Non
 autem valui eum telephonice vocare. Vacuus enim
 eram, exhaustusque. Intimum silentium regnabat, et
 spissæ tenebræ, nec valebam argentes Camœnas revoca-
 re. Ex silentio nascitur musica; silentium tamen illud
 infecundum erat, lugubreque. Proditæ Pierides me
 fugiebant. Me ipsum abnegaveram. Rumor nocturnus,
 cum dormire conarer, ad me stultas cacchinationes,
 tympanorumve repercussiones referebat. In somno
 mihi visus sum immotus stare inter homines bac-
 chantes, nec locum linquere poteram, cum crurum
 compos non essem. Sordidus eram, maculatisque vesti-
 bus. E somno expergefactus, per longas horas in cubi-
 culo manebam, nescio quid faciens, cæruleum cælum
 per beantem fenestram spectans.

Exeunte hebdomada, Iulietta me telephonice voca-
 vit. De novis amoribus suis nihil dixit, voluit tamen
 mihi actum concentum gratulari, et pro invitatione gra-
 tias agere.

«Nescio de qua re loquaris, Iulietta, nullum concen-
 tum dedi», respondi.

– Agedum, iocaris, clarus nunc inter omnes
 Universitatis discipulos es!

– Monstrum narras.

– Mitte nugari! Omnes proximum concentum ex-
 spectant! Quam fortunatus es, qui cum Iohanne
 Iohanne consuetudinem iunxeris!

– Immo hominem nescio.

– Num ebrius es?

– Audi Iulietta. Nugas mihi non destino. Musicus
 sum, non circi histrio. Numquam de arte mea scire
 voluisti, nunc me molestas, ut scurram iterum audias?

– Facetus non es, mitte ita loqui.

– Recte mones, expedit tacere. Sine nunc abeam,
 studio moram non faciam.»

Attonita remansit parumper. Dixi etiam «vale», et
 telephorum composui. Silentium in cubiculo factum
 est. Iam prope erat nox. Halitum meum solum audie-
 bam, quietum, plenum. Liber eram. O suavem liberta-
 tis sensum! O redemptam libertatem, receptamque
 dignitatem! Musam tunc sensi in corde canentem.
 Verba, versus, carmina in me denuo canebant. Regressa
 erat Musica, silentium ac solitudinem amœne occupa-
 bat. Lente in umbra recubui, et radiophonix pulsatum
 premi. Melos Schubertianum locum alme replevit.
 Magistrum vocavi. ☞

* Iuxta Catullum, 105.

IN ÆTNÆ RADICIBVS DE SYMPOSIO MENSE AVGVSTO CATINÆ HABITO

– refert Alexander Feye –

A bhinc quattuordecim annis seminarium Latinum Memorandum in monte Erycino a Fundatione Melissa instauratum erat. Huius autem anni mense Augusto exeunte in opposito Trinacriæ latere, Catinæ, sub Ætna monte, symposium quinque dierum sub auspiciis operis fundati, c. n. Europa Latina, institutum est, Iosepho Marcellino Europæ Latinæ præside atque Paulo Pezzuolo moderantibus.

Die 20^o mensis Augusti vesperi, sereno cælo, participes quindecim ex quatuor Europæ civitatibus oriundi in deversorium *Le Dune* (thinia Latine) conveniunt quod iuxta Ionicum litus, in australi parte urbis situm est. Aliquantum igitur distat a periculosis vulcani clivis. Grex noster constat ex duabus Hispanis, duobus Germanis, BELGA uno novemque Italis.

Postero mane, nos conferimus in quemdam œcum ædium nostrarum scholis recitandis aptissimum. Matutinum enim tempus lectionibus, colloquiis, linguæ exercitationibus dedicatur, postmeridianum vero periegeticis lustrationibus vestigiorum archæologicorum locorumque visu dignissimorum quibus insula redundat. Locorum quos ipso die invisuri sumus per scholas descriptionem legimus.

Alternis vicibus, Iosephus Marcellinus et Paulus Pezzuolo nobis proponunt textus auctorum, hic antiquiorum, ille recentiorum.

Dum auctores Siciliam fuse describentes legimus, geographia insulæ trigonalis nobis paulatim patescit: eius tria promuntoria tribus cruribus efficta, nomina populorum, locorum, montium etc. Unus ex auctoribus nostris, Antonius Philotheus de Homodeis,¹ duas iucundas etymologias præbet nominis inclyto vulcano Catinam minanti imposito quod Italice *Mongibello* sonat: primum, montem ipsum propter pulchritudinem amœnitatemque Montem Bellum dictum esse, dein quadam corruptione vocabuli Mongibellum factum; altera ex parte montem Ætnam sacratum esse Vulcano qui una cum cyclopibus illic ferri fabricam tenebat. Hanc ob causam deus Mulciber quoque vocatus est, quoniam molliendo ferrum mulcebat. Quibusdam litterarum mutationibus Mulciber factus est Muncibelus ac postremo Mungibellus. Num inscius erat Siciliam per duo sæcula Arabibus submissam esse, Jabal جبل السمر. sibi velle montem? Consultone etymologiam Arabicam siluerit?

Post prandium, laophoro vecti, Tauromenium petimus. Cuius oppidi nomen originem ducit ex mœniis sub Tauro monte erectis (Tauri-mœnia). In Italia, quædam lex vetat ne periegetes aliquem situm invisant cum hominibus qui veri mystagogi non sint laureamque idoneam antehac non impetraverint. Hanc



Iosephus Marcellino in Latinum vertens mystagogæ explicationes

miram ob causam, lustrationes plerumque fiunt Italico sermone. Optimam enim Siculam mystagogam nomine Angelam habemus quæ multa alicuius ponderis de variis ædificiis signisque explanat. Deinceps licet Iosepho nonnullas res addere et Latine convertere.

Tauromenium intramus per portam Catinensem, ecclesiam cathedralem videmus et in eius platea fontem cum signo oppidi: centaura coronata duobus tantum pedibus nixa stat globum crucigerum sinistra manu tenens dextra autem liliū florem. Haud multæ explanationes dantur de huius fontis origine.

Mox prospectus splendidus in mare nostris oculis panditur. Etiam Bruttius ager sive Calabria in longinquo adspici potest. Genus ædificiorum memoriam gestarum rerum refricat: hic theatrum Græcum, thermæ ac cisternæ Romanæ, musivum opus Byzantinum, illic vicus Arabicus, Normannicum castellum, palatium Frederici II ævi aut ecclesia ab Aragonensibus exstructa passim inveniuntur. Iure inter pulcherrimas urbes totius Siciliæ numeratur.

Secundo die, nefaria peculatusque illius famosi Caii Verris recordamur quem maximopere vituperat Cicero. Ille enim, proprætor Siciliæ, verrino modo publici thesauri opibus saginabatur. Nos etiam rogatum est ut in proscænium ascenderemus et Cereris simulacri rapti² scænā ageremus.

Pransi urbem Catinam invisimus, cuius nomen verisimiliter originem ducit ab Ætna monte proximo. Nam eo nomine oppidulum in clivis montis olim extruxerant Siculi. Posthac autem anno 729^o, secundum Thucydidis opinionem, Græci Naxo profecti colo-

niam infra montem condiderunt quam Κατὰ Αἴτνα vocaverunt, unde nomen Catina oriundum esse putatur. Tria tamen diversa etymona etiam reperiuntur.

Urbs quæ nunc est etsi Romanam structuram servavit aspectum barocum præbet. Basaltis usus in ple-risque ædificiis et viis civitati proprietatem suam sub-tenebricosam affert.

Vix per portam ducis Ucedensis transgressi, forum maximum cathedrali ecclesiæ nuncupatum peragramus. Illic media in platea stat elephas lapideus supra fontem positus. Scire licet Arabes Catinam مدينة الفيل *madinat al fil* (urbem elephantis) vocavisse. In elephantis lumbo erigitur obeliscus ex Syenite quem Romani ut metam circi maximi verisimiliter adhibere soliti sunt.

Illinc cacumen ignivomi montis fumidum recta adspicitur. Immo incendiolorum noctibus Catinensibus mos est in forum convenire ut eruptionis spectaculum adspiciant.

Caterva nostra tribus Latinistis Catinensibus aucta ecclesiam cathedralem Divæ Agathæ lustrat. Cives eam ut patronam civitatem tuentem reverentissime honestant.³ Decio Traiano Cæsare cruciata est martyriumque tulit. In ecclesia ambulantes, sepulchrum Vincentii Bellini, illustris lyrici musicographi, præterimus quod in dextera nave iacet.

Multa alia monumenta invisu digna sunt:

Castellum Ursino a Cæsare Frederico II de Hohenstaufen «Mundi Stupore» dicto extractum, ante maximam eruptionem anni 1669ⁱ prope mare positum erat. Nunc vero fere media est in urbe, et plus quam uno chiliometro distat a litore.

Romanum theatrum exempli gratia etiam mirandum est.

«Melior de cinere surgo.»⁴

Miselli cives Catinenses paulo postquam urbem suam refecerunt, anno 1693^o tanto terræ tremore quassati sunt ut urbs funditus iterumque collaberetur. Bis igitur intra 24 annorum spatium deleta est Catina.

Tertia dies Syracusis dedicata est:

Ingens theatrum antiquum 138 metrorum amplitudine a Græcis in ipso colle excavatum, dein a Romanis proscænio aptato adhibitum, animum nostrum primo adspectu maximopere commovet maiestate ac lapidum candore.

Iuxta theatrum ingentes lapidicinas quæ latumia (λάσας, lapis et πέμνω, excidere) dicuntur invenimus. Dum eas percurrimus, noster Paulus in saxo stans, memorat permota voce atrocem conditionem septem miliorum Atheniensium in illis specubus inclusorum



Grex participum

quam Thucydides in libro de Peloponnesiaco Bello narrat.

Post aream archeologicam invisam, nobis petenda est insula Orthygia quæ quidem continenti nunc adhæret.

Illic ecclesiam Christianam antiquissimam in orbe occidentali mirari licet, dummodo verum sit quod scriptum est in ipso ædificii epistulo:

ECCLESIA SYRACVSANA PRIMA DIVI PETRI FILIA,
ET PRIMA POST ANTIOCHENAM CHRISTO DICATA

Divus Paulus enim apostolus priusquam Romam pervenit aliquod tempus Syracusis moratus erat.

Circa Arethusæ fontis sæpta sane non prætermittimus quin versus celebres quosdam ex Ovidii Metamorphoseon libris depromptos canamus. Misellam nereidem, quam Alpheus flumen persequebatur, ibi a Diana in dulcis aquæ fontem, iuxta mare scatentem, mutatam esse, panxit Ovidius.

Die insequenti ultimoque, cum maxime de periculis sismicis vulcanicisque totius Italiæ, perinde ac de tractu igneo subterraneo a Strabone descripto qui Neapoli ad Ætnam ducit disputavissemus, ex contracto vultu ientantium coniciior aliquid mali contigisse. Magistræ e Latio oriundæ nos certiores faciunt de truci terræ motu qui modo mediam Italiam quassavit.

Postmeridiano tempore, *Acireale* petimus. Is locus Acidi pastori dedicatur quem in deliciis habebat Galatea Sicula nympa. Cui tamen loquax cyclops Polyphemus adeo æmulabatur ut eum ingenti saxo e vulcano extracto obrueret. Ex longinquo tres scopulos super æquor eminentes adspicimus quos idem infuratus cæcatusque contra Ulixis puppes proiecerit.

Nobis superest ut gratias agamus Iosepho qui totum symposium accuratissime præoccupavit, propter magnam scientiam eius humanisticam eiusque strenuas investigationes in Renascentiæ auctores (Bembum, Aretium, Philotheum de Homodeis etc.) pariter ac

Paulo propter eloquentiam qua suas scholas decoravit vivacitatemque commentariis instillatam per microphonium rædæ longæ traditis qui nostras aures delectaverunt, ambosque laudemus pro sedulitate in perenni Latinitate fovenda!

Hoc conventiculum nobis occasionem dedit linguam Latinam vivam exercendi, nonnullis quidem prima vice sermocinandi, et novas amicitias coniungendi. Perutile etiam fuit de variis docendi rationibus inceptisque novis exsequendis ita disputare ut viribus coniunctis quam maxime omnique modo incitare possimus linguarum humanisticarum studii propagationem et usum vivi sermonis Latini præsertim ubicumque

mortuus æstimatur, aut etiam ubi iam evanuit omnino.

Utinam furor humanisticus perennem Latinitatem fovens late terris omnibus profluat abundetque fluvii ignei Ætnici instar feracitatem secum ferentis! ☞

1. Antonius Philotheus de Homodeis, *Ætnæ Topographia*, apud Nicolaum Odonem Patavinum, Venetiis, 1591, p. 3.

2. M.T. Cicero, *In Verrem*, act. II 4, 110.

3. Notandum est Catinenses ante Christum Ἄγαθῶν Δαίμονα, i.e. Isidem, coluisse.

4. Sententia aurea Catinæ, quæ in triumpho arcu legitur.

NOTÆ BRITANNICÆ DE QVÆSTIONE EVROPÆA

Victorius Sebastiani in symbola sua (*Melissa* 195, p. 16), ut videtur, vult certior fieri de argumentationibus constantibus et de difficultatibus severis, propter quas et Regno Unito decet ut exeat, non «ab Europa» (ut Victorius dicit) sed ab Unionis Europæ regimine. De eisdem argumentationibus et difficultatibus, quæ ceteras nationes inficiunt, non scribam.

Primum Victorius Regnum Unitum increpat, quia numquam nummum cum 'euro' mutavit. Fortasse hoc scripsit quia auxilium œconomix fortioris Regni Uniti invocare velit propter quod rationes nummariæ patriæ suæ periclitantur: sicut in Græcia, ubi vili pretio bona nationis iussu nationum divitium divenduntur et paupertas crescit; sicut in Italia, ubi argentariæ foro cedunt et patrimonia omnium gentium (præcipue Romana et Græca) dilabuntur; sicut non in Regno Unito, ubi libra ante 'Brexite' nimio valens, nunc in mercatu mundano adæquata, fructus officinarum venumdare adiuvat, ubi actionum valores crescunt.

Cur hæc natio suffragiis magnis Unionis Europææ regimen antiquavit? Ratiocinationibus claris. Quis se sodalem esse vult societatis, cuius rationes nummarias dispunctores annos plus quindecim reiiciunt, et quam homines non a populo electi dirigunt, mercedibus stipendiisque magnis? Quis se sodalem esse vult societatis, cuius sedes quotannis cum multis ministris, secundis et tabulis locum magno pretio mutat, ut uni sodali placeat. Ita prorsus effusionem pecuniæ defectio-nemque democratix et surditatem voci populi in regi-

mine Unionis Europææ indicare possum.

Procul dubio mentio fieri potest de maximis emolumentis collaborationum – de studiis sub titulo 'Erasmus' utilissimis, de salute civitatum contra inimicos valde servanda, de conservatione œcologica, &c. Nihilominus opus talibus non grapheocratibus et eorum decretis est, sed peritis inter se consentientibus. Etiam fieri potest, quia nihil e nihilo fit, ut pretium independentiæ alio modo solvendum sit – quo pretio ponderato et librato Regnum Unitum iudicavit.

Verum est quod occasio erat ut aliquid xenophobia contra advenas immigrantesque ab ignaris delinquentibus perpaucis præberetur, sicut in ceteris Europæ nationibus. Attamen permulta sæcula Britannia peregrinos excepit – est sicut migratio perpetua a præhistoria ad nostros dies trans Europam ad occidentem. Lingua Anglica etiam sæpenumero 'hybrida' vocata est; quamobrem lexicon maximum omnium linguarum habet. Propter hoc ubertas ingenii et sensus democraticus Regni Uniti semper et ubique videtur.

Regnum Unitum, igitur, etiam ex motibus tectonicis, nec potest, nec vult separari a populis ceteris familiaribus in Europa, quamquam certissime potest et vult separari a regimine alieno magis magisque tyrannico.

In fine spero fore ut, in re nimis politica libratione restituta, hæc commercium epistularum inter amicos Europæos per linguam communem in pace hoc in commentario nunc requiescat. ☞

Brennus BISHOP

In hoc fasciculo !

- «Ego sum Græcus antiquus» [G. Licoppe] p. 1
Brevis de G.G. Leibniz commemoratio [V. Ciarrocchi] p. 2
Parietinæ orbiculatæ [G.L. Borges - F. Loaiza-Lemos] p. 5
De nova Genesi (i) De cælo [G. Licoppe] p. 7
Epistula ad iuvenem poetam [D. Blanchard] p. 10
In Ætnæ radicibus – De symposio Catinæ habito [A. Feye] p. 14
Notæ Britannicæ de quæstione Europæa [B. Bishop] p. 15

Imago tegumenti: Ætna – eruptio anni 1669 (Commune di Catania, Galleria fotografica)

« Lumen litterarum »

I Conventus interretialis Hispalensis Latinitatis vivæ

Conventus vel potius «Webinarium» non modo ætatis classicæ, sed etiam totius Latinitatis (vel recentissimæ) auctores complectitur, quod libertatem orationes commentandi relationesve scribendi participantibus certe dabit, dummodo eæ ad humanitatis studia spectent.

Cum webinarium sit, convenire in locum præparatum minime opus est, tantummodo a vobis petimus ut ad huius acroasis moderatorem relationis incisionem (non in pelliculæ modum, vero ad auscultandum), quæ Latine habebitur, interreliater vel in disco compacto (CD) per tabellarium mandetis, posteaque hac in sede interretiali, per eas quæ *iVoox* et *Youtube* dicuntur, vias divulgabimus. Demum huius webinarii testimonium scriptum dabitur et præconium in sede interretiali exponetur.

Si participare volueritis, rogamus vos ut orationes relationesve incisas, quæ quantum libeat dilatari ac produci (tamen non minus viginti momentorum spatio) poterunt, non ultra Kalendas Martias anni MMXVII mittatis. Certe valde gaudebimus maximoque honore affectabimur, quod omnes Latinitatis vivæ cultores webinario intersint.

Moderatoris inscriptio interretialis: raulnavarro@us.es

Inscriptio cursualis:

Ana Pérez Vega/Raúl Navarro España
Departamento de Filología Griega y Latina
Facultad de Filología
Universidad de Sevilla
Palos de la Frontera s.n.
E-41071 Sevilla.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA